✠

# INNOCENTIVS PAPA XI.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Aliàs pro parte dilecti filij Alvari de Benavente Procuratoris Prouinciæ Insularum Philippinarum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini nobis exposito, quòd cum peculiaris Fratrum Prouinciæ huiusmodi mos esset in Infidelium conversionem iugiter incumbere,& ad Christianam Religionem venientes, Mysteria, & doctrinam Catholicæ Fidei sedulo edocere,ipsi dictæ Prouinciæ Fratres Religiosæ humilitatis causa, alijsque rationibus numerum Magistrorum, quemadmodum in alijs Indiarum Prouincijs dicti Ordinis observabatur,nunquam habuerant, tempore tamen, & experientia edocentibus compertum fuerat, quod illorum plerique, ex quo Lectoribus laborum suorum prœmium deerat, sacrarum eisque ancillatium bonarum litterarum studia in graue dictæ Fidei propagationis, ac regularis disciplinæ detrimentum dereliquerant: ac proindè pro parte dicti Alvari nobis supplicato, vt in Prouincia præfata neminem imposterum ad Philosophiæ cursum prælegendum, nisi prius saltem per biennium eidem Philosophiæ, & per quadriennium Sacræ Theologiæ vacauisset, neminemque pariter ad ipsam Sacram Theologiam legendum, nisi prius ibidem per biennium dictam Philosophiam prælegisset, promoueri posse statueremus, simulque ne ijs, qui vt præfertur, prælegissent debitum laborum suorum prœmium deesset, vt dictæ Prouinciæ Fratres, qui octo annorum spatio in Conventu Ciuitatis Manilanensis Prouinciæ supradictæ Philosophiam, & Sacram Theologiam huiusmodi legissent, octo curriculorum tempore ad instar Vniuersitatis studij Generalis Sancti Thomæ dictæ Ciuitatis Manilanensis, Apostolica auctoritate (vt asserebatur) erectæ ad octo annos supputato pro Iubilatis haberentur, concederemus; vtque ex Iubilatis huiusmodi quatuor dumtaxàt iuxta Ordinem Lecturæ antiquiores votum, siuè suffragium in Capitulis Provincialibus eiusdem Prouinciæ haberent, ac priuilegijs Magistrorum perindè, ac si verè, & realiter tales essent, fruerentur, & gauderent: necnon pro remouendis inconvenientibus,non plures vnquam, quàm quatuor in Prouincia prædicta votum, siuè suffragium huiusmodi haberent, & priuilegijs supradictis fruerentur, ita vt alij in deficientium locum, non alias pariter, quàm iuxta lecturæ antiquitatem in pleno eiusdem Prouinciæ Definitorio, postquam tamen priùs pro assequenda iubilatione, de dictorum octo curriculorum lectura docuissent probandam, subrogarentur magnæ vtilitatis intuitu, quæ inde Prouinciæ præfatæ proventura asserebatur, similiter indulgeremus: Nos supplicem libellum nobis super præmissis porrectum, remisimus ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, dicta verò Congregatio decretum edidit tenoris,

ris, qui ſequitur videlicèt. ¶ Sacra Congregatio Eminentiſsimorum, & Reuerendiſsimorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ſtante remiſsione libelli per Sanctiſsimum Dominum noſtrum facta, & attenta relatione Eminentiſsimi de Alterijs dicti Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris, necnon audito Patre Magiſtro Generali eiuſdem Ordinis, cenſuit impertiendam eſſe facultatem, pro vt præſentis decreti vigore benignè impertitur pleno Diffinitorio Capituli Prouincialis dictæ Prouinciæ pro tempore petitum priuilegium concedendi. Ita tamen vt illi tantum eo priuilegio gaudere poſsint, qui per octo annos Artium, & Theologiæ curſus docendo, & legendo in Conventu Manilenſi compleuerint; & inſuper vnam ex linguis vſitatis in præfatæ Prouinciæ Miſsionibus ita ſibi comparauerint, vt cum approbatione Dei verbum prædicare, & Sancta Sacramenta Neo-Chriſtianis miniſtrare valeant: necnon ex ijs, qui præfata requiſita habuerint quatuor dumtaxàt in lectura antiquiores prædicto priuilegio potiantur, vnoque deficiẽte, alius iuxta lecturæ maiorem antiquitatem, vt numerus quaternarius impleatur, ſuccedat. Romæ 17. Decembris 1688. G. Cardinalis Carpinæus Loco ✠ Sigilli. B. Panciaticus Secretarius. Cum autem ſicut dictus Alvarus nobis nuper denuo exponi fecit, ipſe Decretum huiuſmodi, quo firmius ſubſiſtat Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret. Nos ipſum Alvarum ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxàt conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ſalva tamen ſemper in præmiſsis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſsimè ſuffragari, & ab eis reſpectiuè inviolabilitèr obſervari, ſicque in præmiſsis per quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſsis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Prouinciæ, & Ordinis præfatorum, alijſque quibuſvis etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſsis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dum-

ta-

taxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cœterisque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem vt earundem præſentium litterarum tranſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſsis, manu alicuius Notarij Publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tàm in iuditio, quàm extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xxij. Ianuarij M. DC. LXXXIX. Pontificatus noſtri anno decimotertio. Loco Annuli Piſcatoris ✠ I. F. Albanus.